



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 1. De Patre Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

*non tacebunt.* Quæ Christi Ancilla es, hominum famulas imitare, eæ non modò per diem ignem nutriunt, sed & vesperi in foco custodiunt, quò de nocte, si opus fuerit, & manè ad construendum novum expeditiores sint: difficulter enim in foco frigido aut sine reliquiis ignis flamma excitatur: eas inquam imitare, ardeat in te totâ die ignis charitatis, nutriatur is meditatione, lectione, oratione: *Amorem enim Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat,* ex Ab- *Ad FF.*  
bate Clarevallensi. Sed & indormitura pia aliquot *de Monte*  
puncta ex jam assignatis aut etiam iis, quæ de die de- *Dei.*  
votionis calorem vel charitatis ardorem nutrierunt, in foco cordis tui depone, eaque expergiscens quasi è cineribus resuscita, hoc est cum Psalte in pace in *Psal. 4: 9.*  
id ipsum dormire & requiescere.

## CAPUT III.

### *De Ascensu & Descensu hebdomadario.*

#### §. I.

#### *De Patre Spirituali.*



**I**Sraëlitis, qui ex Ægyptiaca servitute educeret quique eos in promissæ terræ possessionem immitteret, Moysen datum à Deo Ducem & Consiliarium produnt sacræ Paginæ: is namque aperuit eis mare rubrum ut aquâ *Q5* *divisâ*

divisâ sine ullo detrimento transfirent, contra Ama-  
 lechitas oratione suâ victoriam obtinuit, à serpen-  
 tibus læsis posuit serpentem æneum pro signo quem  
 qui percussus aspiciebat sanabatur, famelicis procu-  
 ravit Manna de Cœlo, sitibundis aquam eduxit de  
 de petra, acceptam à Deo Legem promulgavit, ac  
 denique in omnibus eos inter & Deum Advocatum  
 se exhibuit & Mediatorem: quem populo Israeli-  
 tico dedit Dominus, eum Animæ ad perfectionem  
 properanti, eum cuique Virgini necessarium Sancti  
 Patres & post eos statuunt Ascetici Scriptores: qui  
 nempe eam è peccati & vitiorum tyrannide eximat,  
 salutis impedimenta removeat, ad rebellium passio-  
 num victoriam animet, animæ languoribus vulne-  
 ribusque medeatur, frumentum electorum vinum-  
 que germinans Virgines dispenset, verbo, è cuius  
 ore Dei voluntatem ac beneplacitum intelligat, cu-  
 jusque in omnibus quoad conscientiam auxilio &  
 consilio utatur. Hunc enim ordinem vel in natura  
 vel in gratia Deus ipse constituit, ut perfectioribus  
 imperfectiora subjaceant: ex hac causarum inferiorum  
 ac superiorum continuatione colligationeque  
 admirabilis illa mundi totius harmonia & quasi con-  
 centus existit: hac ipsâ membrorum mutuâ inter se  
 se subjectione & ordine præcipua pene Christi cor-  
 ris species ac pulchritudo continetur, pedes ut rectè  
 gradientur oculorum nutum sequantur oportet: ita  
 ad virtutem tendentium permagni interest, ut iis  
 quos Dei Spiritus uberiori luce cumulavit regendos  
 sese ac gubernandos committant. „ Quum, subie-  
 rit in cor tuum cogitatio illa ( Virgini præscribit „  
 D. Athanasius ) ut aliquid facias, ne temerè & „  
 præ-

*L. de Vir-  
gin.*

„præceps eò tendas, ne inimicus te illudat, sed omnia  
 „cum iudicio majorum aggredere. „ Bonum est  
 „obedire Majoribus, (Demetriadem monet S. Hie- *Epist. 8.*  
 „ronymus) parere perfectis, & post regulas Scrip-  
 „turarum vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec  
 „præceptore uti pessimo, scil. præsumptione tuâ.  
 „Summâ vigiliâ (Adolescentem instituens, qui  
 „se totum Deo tradere cogitabat habet D. Basi- *Serm. 1.*  
 „lius) acerrimaque in omnes partes animi circum- *de abdica-*  
 „spectatione operam dato, ut aliquem tibi virum in- *tionem se-*  
 „venias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi *culi.*  
 „vitæ studiis certissimum Ducem sequare: cujus  
 idem ille Hierarcha ibidem dotes subnectit, quas  
 ad numerum te *um* reducit B. Franciscus Sale- *Introd.*  
 sius, ut scil. charitatæ, scientiæ ac prudentiæ plenus *P. 1. c. 4.*  
 sit, additque periculosum esse ac metuendum quem  
 trium istorum aliquid deficiat: quamvis enim uti- *L. De fre-*  
 lis ductor videatur, nullum tamen habere satiùs mul- *quenti*  
 tû est, quàm eum qui prudenter regere aut nesciat *Commu-*  
 aut nolit, censet Arnaldus. *nione p. 1.*  
*c. 28.*

• Moyses sit oportet ejusque Charitatem habeat;  
 qui non sua emolumenta, sed Dei gloriam & subditi  
 sibi populi quærebat: ejus audi cum Deo Deique  
 cum eo colloquium populo Vitulum conflatilem ad-  
 „orante: „Cerno quòd populus iste duræ cervicis  
 „sit, ait ad eum Dominus, dimitte me ut irascatur fu-  
 „ror meus contra eos, & deeam eos, *faciamque te Exod. 32:*  
 „ingentem magnam. Cui Moyses: Cur Domine *9. §. seqq.*  
 „irascitur furor tuus contra populum tuum? quem  
 „eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna &  
 „in manu robusta. Ne quæso dicant Ægyptii: cal-  
 „lidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & de-  
 leret

vers. 31.  
 & 32.

leret è terra : quiescat ira tua , & esto placabilis sicut  
 per nequitia populi tui. Aut dimitte eis hanc noxam,  
 aut, si non facis, *dele me de Libro tuo, quem scripsisti.*  
 An non Dei gloria est cordi : *ne dicam Egyptii &c.* ? nonne & salus populi delictum deprecanti ? nonne & in eo proprii commodi neglectus ? ei Dominus : *Faciam te in gentem magnam.*  
 & ille Domino : *aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de Libro tuo quem scripsisti.* Talis  
 necesse est, cui tutò animam suam Virgo committet, seu potius cui eam Virginum Sponsus concredat.  
 non enim dictum Petro pasce agnos & oves meas, nisi cum triplici protestatione non amorem, sed amoris  
 præ reliquis exuberantiam prodidisset : neque pastoralium officiorum functionem prius iniri voluit, quàm ministrorum omnium animis ipsam divitiarum amoris & Spiritus Sancti plenitudinem infudisset.  
 primarius enim eorum officii scopus & primaria Christi mens oves suas eis demandantis est, ut eas, sicut ipse amat, ament, ut ex amore eoque maximo & minimè vulgari pascerent, sicut ipse pascit, ideòque à D. Ambrosio Pastores Evangelici non solum curæ pastoralis Christi, sed etiam *Amoris ejus Vicarii* fuere appellati. „ Unde, qui hoc animo (juxta D. Augustin.) pascunt oves Christi ut suas velint esse non Christi, se convincuntur amare non Christum, vel gloriandi vel dominandi vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subveniendi & Deo placendi charitate : quorum proinde Sacerdotium ADULTERINUM vocat Gregorius Nazianzenus : verè adulterinum cùm affectus, qui in solam Dei gloriam ferre deberet, gloriæ vanæ commisceatur.

Joan. 21.  
 15, 16, 17

Tract.  
 123. in  
 Joan.

Tom. 1.  
 Orat. 32.

tur. Verè adulterinum, cùm amor qui solùm Dei principatum in & super Virgines respicere & promoverè deberet, cum dominandi libidine fornicetur. Verè denique Adulterinum, cùm Charitas quæ solùm Virginis profectum intendere deberet, facculum portans & peram, turpe lucrum amplexetur: tales Paranyphos non Sponsi Amicos sed Æmulos inscribit D. Bernardus. Alia intentio Pauli: „ Non „ quæro quæ vestra sunt, sed vos: nec enim debent „ filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: ego „ autem libentissimè impendam & superimpendar „ ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligens „ minùs diligar. Testis est mihi Deus (idem ille Phi- „ lippensibus protestatur) quomodo cupiam omnes „ vos in visceribus Jesu Christi, & hoc oro ut chari- „ tas vestra magis ac magis abundet in scientia & in „ omni sensu ut probetis potiora, ut sitis sinceri & „ sine offensione in diem Christi repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam & laudem Dei. Eadem sit cujusque Directoris intentio cujus radix Charitas, *sans elle c'est un corps sans ame, une ame sans esprit, un esprit sans vie, un conducteur sans yeux, un feu sans chaleur, un flambeau sans lumiere*, ait in aureo suo Tractatu de Directore Camus Episcopus Belluacensis.

L. 3. de  
Confid.  
c. 5.  
2. Cor. 12.  
c. 1. v. 8,  
9, 10, 11.

Le Dire-  
cteur Spi-  
rituel des  
intresse  
p. 1. c. 12.  
Ecc. 45:6.

Charitati maritata fit Scientia, illâ ferveat cum Moyse, sed & hac cum eodem abundet, cui Dominus dedit coram præcepta & Legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob Testamentum suum, & judicia sua Israël. Ideoque cum & doctrina perfectionis Christianæ non sit humanitùs adinventata, sed hausta divinitus, patet Superiorem esse quasi Dei discipulum & homi-

hominum Magistrum, qualis esse non poterit nisi  
 là fuerit imbutus: què enim convenit ut lucem ten-  
 bræ subministrant, atque ut cæcus aliis se ducere  
 præbeat? Omnino qui animarum regendarum mu-  
 nus suscipere velit, fidei doctrinæ notitiâ abunde  
 refertus sit necesse est, & priusquam instruere  
 aggrediatur, diu ac multum in seipso instituendæ  
 erudiendoque laborarit. Ex studio simul ac pietate  
 efflorescat & redundet ejusmodi eruditio oportet  
 nec eâ, quæ contentions usu comparatur, scientiâ  
 contentus sit, sed excelsiorem illam asciscat, quæ

Sap. 10:  
10.

Scriptura *Scientia Sanctorum* appellatur, quam se-  
 lus Dei Spiritus instillat, quam denique gemitis  
 orationesque assiduas exprimunt atque impetrant.  
 Quare triplex illi Scientia opus est, una quæ à Scho-  
 la petitur, altera quæ ex perpetua Ecclesiæ Traditio-  
 ne, tertia quæ ex fonte ipso hauritur per familiaris  
 usum & consuetudinem, quâ cum Christo piæ  
 religiosas mentes fervor pietatis & charitatis conglu-  
 nat. Prima illum eorum disciplinæ, qui vulgò Do-  
 ctores appellantur, Alumnum: altera Ecclesiæ Ca-  
 tholicæ Discipulum, ut loquuntur Patres, tertio  
 Auditorem efficit ipsius Christi, qui Pastorum  
 Ecclesiæ Rectorum animas arcanis illustrationibus

Joan. 6:  
45.

quibus ut Evangelium loquitur, *docibiles Dei* fieri  
 informat, divinarumque rerum notitiam mirâ & in-  
 effabili inserit ratione, quam nemo novit nisi qui

p. 1. c. 29.

cipit: hæc totidem verbis ex præcitato Arnoldo  
 „Hoc enim Adulterinorum & Asscriptitiorum Præ-  
 sulum est, eoque munere, quod profitentur, indi-

Orat. 21.

gnorum (inquit Gregorius Nazianzenus) qui  
 cum nihil prius ad Sacerdotium attulerint, Disci-

„cipuli simul Magistrique pietatis creantur, aliosque  
 „ante purgant quam ipsi purgati fuerint. Heri Sacri-  
 „legi hodie Sacerdotes heri profani hodie Sacrorum  
 „Antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes :  
 „quales aliqui Parochos SÆCULARES omnes cri-  
 „minantur, solis Regularibus notitiam regiminis asse-  
 „rentes : quasi, ut olim Spiritus Domini à Saul in Da-  
 „vid, idem ille ab illis legitimis Filiarum spiritualium  
 „Patribus & à Christo constitutis Ducibus in hosce  
 „transmigraverit, & quod in natura quandoque con-  
 „tingit, Patribus suis filii amplius sapiant : „Labor &  
 „latebræ & voluntaria paupertas, (scribit Abbas *Epist. 42.*  
 „Mellifluus) hæc sunt Monachorum insignia, hæc  
 „vitam solent nobilitare monasticam : vestri autem  
 „oculi omne sublime vident, vestri pedes omne fo-  
 „rum circumeunt, *vestræ linguæ in omnibus audiu-*  
 „*tur consiliis*, vestræ manus omne alienum diripiunt  
 „patrimonium. Hæc acerbius S. Abbas, cum jam  
 „sat sibi sapientes aliquos cerneret, quorum discipli-  
 „næ subfuerant hætenus, ab Ordinariis suorum  
 „obedientia se subducere seu potius subduxisse.

Scientiæ denique fœderetur Prudentia, quæ eam  
 & charitatem moderetur, estque *appetendarum & vi-* *S. Aug.*  
*tandarum rerum scientia* : diu revera Spiritus Sancti *L. 1. de*  
 discipulus fuerit oportet, qui se aliorum Doctorem *lib. arbit.*  
 ac Magistrum exhibere paret : diu in abdito atque in *c. 18.*  
 solitudine consulendus Deus, antequam in publi-  
 cum prodeas & responsa edas quæ oraculorum vice  
 habeantur. Triplicem hanc dotem complectitur D.  
 Basilius & explicat, dum ejusmodi Ducem requi- *Supra.*  
 rendum statuit, „qui rectum iter ad Deum volenti-  
 „bus pergere sciat commonstrare, qui ornatus virtuti-  
 bus



bus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones, testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum Literarum scientiam habeat, virum, integrum nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minimè libentur gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, injuriarum immemorem, naturâ propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedunt, quem gloria inanis non inflat, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei.

Ratio omnium est evidens, nam cùm Animam Deum ducere debeat, certè scopus ejus Deus sit, viam norit eamque ipsemet comitetur oportet, alibi Dux non futurus, sed Seducator.

Tu itaque Virgo quæ non maritum sed coelestem Agni sequelam cogitas, non nuptias sed mysticam nostram Scalam, si detur tibi optio, qualem descripsimus, felix cujus directioni te subdas, neque Religiosum Parocho sed Parochum tuum Religioso præferas, cùm illi Animarum cura ex institutione divina competat, quam hic ex emendicato privilegio assumit. Vel si optio non detur, tam tu quàm Virgines reliquæ ei acquiescant, quem divina Providentia & Superiorum Judicium vobis proficiunt, non renovetur à vobis, quod in sui temporis Virginibus culpat D. Chrysostomus: „Eas quidem divina Lex (inquit) ab hoc ministerio remotas esse voluit, illæ vi factâ intrò irrumpunt, quæ, quandoquidem per se nihil ipsæ possunt, per alios omnia factitant, ac tantum sibi vendicant potestatem, ut quo-

„ ut, quoscunque illæ Episcopos velint, & adlegent  
 „ & summoveant. Fitque tandem per eas, ut, quod  
 „ est in veteri proverbio, sursum ac deorsum  
 „ sese habeant res, ac Principes suos subditi ipsi re-  
 „ gant: atque utinam id tantum viri factitarent, non  
 „ etiam eæ, quibus ne docere quidem permissum est:  
 „ sed quid dico docere! certè ne in Ecclesia quidem  
 „ fari illis B. Paulus permisit. Si iis dotibus, quas re-  
 „ censuimus, ornatum nanciscantur, est quod sibi  
 „ gratulentur, *Amicus enim fidelis protectio for-* Eccl. 6:14.  
*tis, medicamentum vitæ & immortalitatis, qui au-* vs. 16.  
*tem invenit illum, invenit thesaurum: & qui* vs. 14.  
*metuunt Dominum invenient illum.* vs. 16. Nota: qui me-  
 „ tuunt Dominum, invenient illum. „ Pastorum quip-  
 „ pe ignorantia meritis congruit sæpe subjectorum,  
 „ (eleganter observat S. Gregorius) qui, quamvis Past. cu-  
 „ lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant, ra p. 1.  
 „ districto tamen Dei iudicio agitur, ut per eorum c. 1.  
 „ ignorantiam hi etiam, qui sequuntur, offen-  
 „ dant.

## §. II.

*Qualiter erga Patrem Spiritualem se ha-  
 beat Filia devota.*

**E** Am de hoc instruet trina conditio, quam subne-  
 cto: &

**P**RIMÒ quidem agat cum eo **SINCERE** quem  
 namque, à quo ad vitam spiritualem enutriatur in  
 Patrem selegit, ei suas candidè aperiat necessitates,  
 R. pandat